



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

48. Cum ad aures &c. Epistola Encyclica jussu Summi Pontificis ad
Archiepiscopos Hispaniarum conscripta, pro tollendis abusibus eorum, qui
ubi in carceres conjecti fuerint, ad eludendam justitiam, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

1712.

Senatus Taurinen., in quibus, nedum præfatus Episcopus, sub poena reductionis bonorum, tam Episcopatus, quam priorum, monitus fuit ad revocandum infra terminum quinque dierum supradictum Decretum, & Schedulas declaratorias ejusdem excommunicationis, tanquam nulliter, & insubsistentiter prolatae, sed ulterius inhibitum fuit cuicumque Personæ cujuslibet status, gradus, & conditionis, ne sub poenis arbitrii ejusdem Senatus extenden. usque ad mortem, consortium præfatorum Taliani, Maggiolini, Casalegni, & Piccarelli, ut supra, excommunicatorum evitaret, neve aliquam molestiam, injuriam, aut damnum ex causâ supradictâ inferret: Hisce Litteris, & minis perterritus idem Episcopus, nullatenus attempto, quod per editionem, & publicationem supradicti definitivi Decreti, expiraverat omnis ejus Jurisdictionis, nec poterat amplius revocare declarationem incurfus Censurarum, minusque præfatos Excommunicatos à Censuris absolvere, ob reservationem ejusdem absolutionis Summo Pontifici pro tempore existenti, præterquam in mortis articulo, contentam in præfatis Litteris Apostolicis, singulis annis in die Cœnæ Domini legi & promulgari solitis, perperam, & nullo Jurisdictionis munimine fulciatis, ac sub aliis inanibus, & prorsus insubsistentibus fundamentis, ausus fuit aliam proferre Sententiam, in quâ Declarationem incurfus censurarum, per supra relatam definitivum Decretum ab ipso præcedenter factam, præfatos Talianum, Maggiolinum, Casalegnum, & Piccarellum, non affectisse, pronuntiavit. eademque Declarationem penitus revocavit; Et (quod valde notatu dignum est) non sine maximâ terminorum Pontificum, & implicantia, eos, quos in censuras non incurrisse in eadem Sententiâ declaravit, ab eisdem Censuris absolvit, in quantum ipse potuit, demandando ulterius publicationem, & affixionem ejusdem Sententiæ, prout publicata, & affixa fuit in locis publicis dictæ Civitatis.

Hinc est, quod eadem Sacra Congregatio Immunitatis Ecclesiasticæ, ad quam, ex Ordinationibus Summorum Pontificum, privativè pertinet cognitio præsentis invaliditatis, seu Injustitiæ Declarationis Censurarum à Locorum Ordinariis prolatae, ex causâ læsæ Jurisdictionis & Immunitatis Ecclesiasticæ, ita ut, nec eisdem Ordinariis, post prolata Declarationem, seu Decretum super incurfu Censurarum, nec alteri Judici in gradu appellationis liceat amplius manus apponere, eademque Censuras revocare, nec ab eis quoquomodo absolvere; Re maturè perpensa censuit præfata Sententiam fuisse nullam, invalidam, nulliusque roboris, & momenti, nec prædictam revocationem, & respectivè absolutionem à Censuris, ullo modo suffragari prænominatis Taliano, Maggiolino, Casalegno, & Piccarello, sed ipsos esse vitandos, & ab omni consortio, SS. Sacramentorum participatione, & Fidelium communiione arcendos, donec ab eadem Sac. Congregatione, ad quam ab eis recurrendum est, supradictum Decretum super incurfu Censurarum, nullum, vel injustum declarari obtinuerint, vel à Summo Pontifice absolutionem reportaverint.

Et factâ Sanctissimo D. N., per me infrascriptum Secretarium hac die 5. mensis Julii 1712. relatione supradicti Decreti Sac. Congregationis, Sanctitas Sua, nedum illud approbavit, & omnia in eo contenta servari mandavit, sed ut omnibus Christianis idem Decretum innotesceret, ad valvas Ecclesiæ Cathedralis Astens., & alia loca publica ejusdem Civitatis illud affigi præcepit, ejusque transcriptis, seu exemplis, etiam impressis, manu tamen alicujus publici Notarii subscriptis, & sigillo Eminentissimi Præfati Sac. Congregationis

munitis integram fidem haberi voluit, & mandavit. Datum Romæ dicta die 5. mensis Julii 1712.

G. Cardinalis Marefcottus.

Prosper Episcopus Cyrenen. Secret.

EPISTOLA

Encyclica jussu Summi Pontificis ad Archiepiscopos Hispaniarum conscripta, pro tollendis abusibus eorum, qui ubi in carceres conjecti fuerint, ad eludendam justitiam, sese à locis immunibus, ad quæ confugerant, dolosè extractos fuisse allegare solent.

Illustris, ac Reverendissime Præsul, mi Frater.

Cum ad aures Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ XI. plurimæ pervenerint querelæ fide dignorum testimonio comprobatae, adversus eos, qui ubi de mandato Judicum, sive in criminalibus, sive etiam in civilibus capti fuerint, & in carceres conjecti, ad eludendam justitiam, falsò plerumque affirmare solent sese ab Ecclesiis, aliisque locis immunibus, ad quæ confugerant, blandis verbis, vel alijs dolosè extractos fuisse: dictumque suum perjurio confirmare audent, ac insuper adhibita confanguineorum, vel amicorum suorum operâ, falsos testes inducere, & alia non minùs detestabilia patrare non verentur; Quinimò aliquando ipsimet sunt, qui ad effectum liberè vagandi, & forsitan etiam impunè delinquendi, per Baroncellos, & Executores, aliosve similes Justitiæ Ministros, datâ operâ, ab Ecclesiis, locisque immunibus prædictis sese extrahi fecerant, eâ spe freti, quòd interim Ecclesiasticæ Immunitatis beneficium amittere non deberent. Hinc est, quod Sanctitas Sua graves ejusmodi abusus quibus justitiæ cursus inhibetur, animarumque salus in discrimen adducitur, pro Pastoralis suæ sollicitudine, eximioque zelo, è medio tollere, ac radicibus extirpare cupiens, auditò priùs nonnullorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac Romanæ Curiae Prælatorum, super hac re specialiter deputatorum consilio, decrevit per organum hujus Sacræ Congregationis Immunitatis Ecclesiasticæ, & Controversiis Jurisdictionibus præpositæ, injungi Amplitudini Tuæ, quemadmodum per præfentes injungitur, ut publico speciali Edicto, tenoris in adjuncto folio expressi, moneat, denunciât, atque notificet, quòd omnes, & singuli cujuscumque status, gradus, & conditionis fuerint, qui actu confugerunt, vel in posterum confugient ad Ecclesias, seu loca immunita istius Diocesis, si illorum Immunitate gaudere velint, curent attentè in eis permanere, nec se ullo prætextu, causâ, vel quæsito colore seduci sinant ad discedendum ab istis Ecclesiis, seu locis immunibus; ubi etenim extrâ illas, seu illa ipsos deprehendi contingat, minimè eis proderit allegare, & probare, quòd fallacibus suasionibus, blandis verbis, affecutionibus, dolosive machinationibus extracti, seu abducti inde fuerint; Cum ad occurrendum fraudibus, & abusibus supra expositis Sanctitas Sua, de præfatorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac Prælatorum consilio congruum, ac opportunum duxerit, firmiter decernere, & statuere, prout decernit, & statuit, quòd deinceps ii tantum extra Ecclesias, & loca immunita, ad quæ confugerant, Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio gaudere pergant, qui ab Ecclesiis, & locis immunibus hujusmodi vio-

1712.

III.

1717.

lenter extracti fuerint, vel inde discesserint sub fide Salvi Conductus ab aliquo Iudice Ordinario, vel delegato concessi, & subscripti, non tamen, nisi ad tempus in eo praefixum, valituri. Jubet insuper praefatus Sanctissimus Dominus Noster, quod Amplitudo Tua, eodem publico Edicto, moneat, prout similiter annexa formulâ cavetur, omnes, & singulos, si qui fuerint, in istâ Diocesi, qui ante publicationem Edicti hujusmodi revera blandis verbis, aut aliâ dolosè ab Ecclesiis, aliisque locis immunibus extracti fuerint, ut quatenus gaudere intendant beneficio Immunitatis eisdem Ecclesiis, & locis debita, debeant intra terminum unius mensis à die publicationis ejusdem Edicti computandum, redire ad Ecclesias, vel loca immunita, undè extracti fuerint, exponendo ad hunc effectum, quatenus opus sit, ab Amplitudine Tuâ Salvum Conductum, pro tuo arbitrio, & prudentiâ limitatum, ac gratis concedendum; Additâ insuper declaratione, quòd si elapso praedicto termino in manus Curiae inciderint, ita habebuntur, ac si ab eisdem Ecclesiis, & locis immunibus sponte sua, nullâque prorsus interpositâ fraude, discessissent, nec eis licebit amplius dolosam extractionem allegare. Ceterum cum hæc Sanctissimi Domini Nostri provisio non in tuâ tantum, sed & in aliis istius Provinciae Diocesis servari omninò debeat, Sanctitas Sua districte Tibi præcipit, ut hæc omnia, quæ per præsententes Tibi injunguntur, etiam Episcopis Suffraganeis tuis, aliisque locorum Ordinariis Tibi Metropolitico jure subjectis accuratè significes, & ab eis exactè pariter, ac diligenter observari cures, & facias. Placeat igitur Amplitudini Tuæ ita exequi; dum ego interea deprecor eidem veriores felicitates. Romæ 20. Januarij 1717.

Amplitudinis Tuæ.

Vri Frater Addictissimus.

S. A. Cardin. Tanarius

Scipio de Ricciis Secretarius.

Formula Edicti promulgandi.

Cum ad notitiam Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Papa XI. delati fuerint graves abusus, à plerisque eorum inveni, qui ubi de mandato Judicum, sive in criminalibus, sive etiam in civilibus capti fuerint, & in carceres conjecti, ut inde emittantur, allegare frequenter solent sese ab Ecclesiis, aliisque locis immunibus, ad quæ confugerant, blandis verbis, vel aliâ dolosè extractos fuisse, & ad propriam allegationem comprobandam, non solum in suis depositionibus facile pejerant, sed falsos insuper inducunt testes, adhibitaque consanguineorum, vel amicorum suorum opera, etiam alia non minus damnabilia patrare non erubescunt; Quinimò aliquando ipsimet sunt, qui ad effectum liberè vagandi, & forsitan etiam impune delinquendi, per Baroncellos, & Executores, aliosve similes Justitiæ Ministros, data opera, ab Ecclesiis, locisque immunibus praedictis sese extrahi curarunt, ea spe freti, quòd interim Ecclesiastica Immunitatis beneficium amittere non deberent. Hinc est quod Sanctitas Sua ejusmodi malis, pro eximia sua sollicitudine, ac zelo, occurrere intendens, speciali commissione, per organum Sacrae Congregationis Immunitatis Ecclesiasticae, & controversis Jurisdictionibus praeposita Nobis directâ, & inferius registranda, districte Nobis injunxit, ut ad praesentis Edicti promulgationem procederemus.

Apostolicis itaque Sanctitatis Suae mandatis, qua par est, veneratione, & obsequio morem gerentes, vigore praesentis publici Edicti, monemus omnes, & singulas personas cujuscumque status, gradus, & conditionis existant, quæ actu confugerunt, vel in

posterum confugerint ad Ecclesias, & loca immunita, si beneficio Immunitatis hujusmodi gaudere velint, ne sub quovis praetextu exeant, vel discedant ab eisdem Ecclesiis, locisque immunibus, imò diligenter caveant, ne fidem adhibeant ulli effecrationi, quam sibi ad idâ quavis personam, etiam si fuerit Justitiæ Minister, offerri contigerit, nisi eis simul exhibeatur Salvus Conductus ab aliquo Iudice Ordinario, vel delegato concessus, ac subscriptus; quo casu Salvus Conductus hujusmodi, pro eo tamen diuturnat limitato tempore, pro quo concessus fuerit, ipsi suffragabitur.

Curent igitur omnes, & singuli confugientes ad Ecclesias, & loca immunita praecise servare confugium; Quoniam si deinceps extra Ecclesias, & loca immunita hujusmodi capti, ad manus Curiae devenierint, nequaquam eis proderit, ad effectum fruendi beneficio Ecclesiastica Immunitatis, allegare, vel etiam concludenter probare, quòd blandis verbis, vel aliâ dolosè ab Ecclesiis, vel locis immunibus praedictis extracti, seu abducti fuerint, cum Sanctissimi Domini Nostri mens sit, quòd de cætero ea tantum extractiones, seu abductions extractis, seu abductis ad praesentem effectum suffragentur, quæ, aut violenter, aut sub fide Salvi Conductus, ut supra concessi, & subscripti secuta fuerint.

Ceterum, ubi contingat in hac Nostra Diocesi aliquam reperiri personam, quæ revera blandis verbis, aut aliâ dolosè ab Ecclesia, seu loco immuni extracta, vel abducta fuerit, serio illam per praesentis Edictum admonemus, ut quatenus frui intendat beneficio Immunitatis Ecclesiasticae localis, redeat ad confugium intra terminum unius mensis, à die publicationis praesentis Edicti computandum, petito prius à Nobis Salvo Conductu, quem gratis concedimus; Quod si elapso praedicto termino, extra locum immunem deprehensa fuerit, sciat se habendam esse, perinde ac si ab eodem loco immuni sponte sua discesserit, nec amplius audiendam super extractione dolosa, quam de praeterito se passam fuisse allegaret, cum talis itidem sit mens Sanctitatis Suae.

Volumus autem, hoc Nostrum monitoriale Edictum ad valvas Metropolitanæ Ecclesiae hujus Civitatis affigi, & publicari, ac insuper in singulis Parochialibus Ecclesiis Nostrae Diocesis, inter Missarum solemnias promulgari, siquæ affixum, & publicatum, ac respectivè promulgatum post mensem à die illius affixionis, & publicationis, ac respectivè promulgationis computandum, omnes, & singulos, quos illud concernit, perinde articulare, & afficere, ac si antequam eorum nominatum, & personaliter intimatum fuisset. Datum ex Nostrò Palatio Archiepiscopali hac die.

EPISTOLA

Encyclica de eodem argumento conscripta Italico idioma ad universos Italiae, Insularumque adjacentium Ordinarios.

Illustre, e Reverendissimo Monsignore come Fratello.

Esendo pervenute da più parti alla Santità di Nostro Signore molte querele, che pur troppo si sono riconosciute appoggiate alla verità, sopra gli abusi, ed inconvenienti, che frequentemente nascono dall'allegarsi da molti di quelli, che vengono carcerati tanto per cause Civili, quanto per Criminali, di essere stati dolosamente efratti dalle Chiese, e Luoghi Immuni; mentre li medesimi, per eludere la giustizia, bene spesso afferiscono falsamente di aver patita tale dolosa efrazione, e per sostenerla, spergiurano ne' loro Constituti, inducono Testimonij falsi, e commettono altre simili enormità, coll'ajuto anco de' loro Amici, e

Con-